

AD SECUNDUM dicimus, quod cum ad divinam potentiam non solum spectet posse simul facere quamcunq; rem possibilem, sed etiam non posse exhaustiri quod dicunt, sed posse semper efficere quantumvis multa vel magna prius effecerit. Ideò cum *Suareto dicimus d. 30. p. 17. d. 16.* cum dicitur DEUM posse omne possibile, id dupliciter posse intelligi, uno modo *divisim seu sigillatim*, quamcunq; rem, vel etiam finitam multitudinem possibilem, & sic simpliciter verum esse absq; ulla distinctione; *Secundo collectivè* atq; sic neq; necessarium, neq; verum, cum in hoc quod possit quodcunq; istorum facere, cum omnibus alijs possit involvi repugnantia, quæ in singulorum productione minimè involvitur. Denique AD TERTIUM cum quaeritur *an Deus possit facere rem infinitam & meliorem, quam quod fecerit?* quoad prius, si intelligatur *infinitum in essentia simpliciter*, absolute, ac evidenter falsum est, cum hoc pacto creatura ipsa statueretur omnipotens, quæ seipsum possit producere. Imò quæ æqualis virtutis cum DEO ipsi possit resistere. Sin autem *intelligatur infinitum intentione, magnitudine, aut numero*, illud absolute & formaliter ad Omnipotentiam Dei non pertinet, sed solum sub ea conditione, an illud ex se sit possibile, seu non involvat repugnantiam. *Quoad posterius ante omnia inter potentiam absolutam & ordinatam* distinguendum est. Hæc enim cum referatur ad aliud quodpiam attributum Dei, puta sapientiam, justitiam, sæpius non dicitur posse ea, quæ tamen absolutâ divinâ potentiâ concedenda sunt. Atq; hinc de uno quolibet facile potest sumi iudicium.

## XXI.

In primis vero cum potentia hæc Dei in tribus conspiciatur actionibus, CREATIONE, CONSERVATIONE, ET GVBERNATIONE propterea dicimus quod Deus SIT PRINCIPIVM, ET CAUSA PRODVCENS, CONSERVANS, ET GVBERNANS OMNIA. Veruntamen cum potissimum ea omnia quæ humana ratio in Deo, ejusq; essentia, & attributis ad creaturas relatis concipit, consideraverimus: *Hæc verò peculiaria ad creaturas collata sint Dei opera*, His ipsis disputationes nostras DE NOTITIA DEI NATVRALI concludimus, ipsi dicentes laudem honorem, & gloriam.

FINIS.

Coll. diss. A. 49, misc. 35